

IPC S.

1567

INDEX

271a

oo
Constat 3. M. in S. Hütten,
zu Letza q. veltzi a. 1700.
oo

6
XVII, 284.

GNOMAE 2

BEATISSIMI PATRIS NILI,
EPISCOPI, ATQVE MARTY-
RIS: PARAPHRASTI-
CIS VERSIBVS
REDDITAE.

AVTORE
LVDOVICO
HELMBOLDO MVL-
HVSINO.

ERPHVRDIAE,
EXCVDEBAT MARTI-
NVS DE DOLGEN.

M^o D^o LXV^o

OPTIMO, ERVDITISSIMO
que viro, D. M. Sebastiano Glasero,
Cancellario Hennenber-
genfi, amico suo S.

Omnatissime uir SEBASTIANE,
Qui cognomine diceris Glaserus,
Vitri forsitan æmulatione,
Quod puræ superas nitore uitæ.
Credo noticiam mei caducos
Effluxisse tibi retro per annos,
Quæ tecum mihi cœpit esse, flauī
Ad mœni uada, nuncupata Francis.
Tunc, cum Romula sceptrā Ferdinando
Dabantur uice Caroli gerenda.
Musarum, Charitumq; te lepore
Venustum, super omne diligebam.
Quod Regum, Comitumq; Principumq;
Spectandum dabat aula, pompa, luxus.
Nec tu me, licet imparem uideres,
Spernebas: ueteri fauore fretus,
Paucis te modo uersibus saluto,
Et per Pierias rogo sorores,
Inseruire mihi uelis, tuoq;
Missum tradere Principi libellum.
Qualis sit, taceo, uidebis ipse,
Polles iudicio, faue, ualeq;.

Ludouicus Helmboldus.

ILLVSTRI, GENEROSO
QVE PRINCIPI, AC DOMINO,
D. GEORGIO ERNESTO, COMITI
Hennenbergensi, Domino suo cle-
mentissimo. S. P. D.

Nvper Hierifluam cum grassaretur in urbem
Atropos, & tumulo funera multa daret.
Quisq; suam repetens patriam studiosus abibat,
Lugebat posita mæstus Apollo Chely.
Ocia nactus ego cum coniuge, proleq; terras
Accedo, populus quas Mulhusinus arat.
AEdibus accipior senis, incolumisq; parentis,
Quem fore Tithonum cum genitrice precor.
Tristia fallebam sociali tempora ludo,
Colloquij socius cum mihi nullus erat.
Aonias (quamuis inuito pollice) chordas
Tentabam, facilem Musa negabat opem.
Nec tamen omnino me destituebat, habebam
In manibus sancti gnomica dicta uiri.
Quem Nilam dicunt, ea cum mihi lecta placerent,
Imparibus, dixi, redde Thalia modis.
Annuit, & calamo dedit excipienda: tremebat
Tum mihi forte graui quassa dolore manus.
Si quid inest igitur, scriptum meliore quod optet
Esse stylo, malim non tremuisse manum.
Sed sperare licet bene de lectore benigno,
Qui malus est, illi nemo placere potest.

A ij

Nec

Nec placuisse uelim, nihilominus absq; periculo
Paruus ut ignota plebe libellus eat.
Quæro patrocinium Princeps generose, tibiq;
Dedico, sub titulis prodeat ille tuis.
Nempe Georgius, Ernestusq; uocaris, honestum
Principis officium nomen utrunq; notat.
Terrarum dominus terras cultoribus ornet,
Et iuxta legum seria dicta regat.
Sit facilis, facilem dum pax sinit esse, seuerus
Prodeat, armatam res ubi poscit opem.
Nil habet illustri præsens pagella patrono
Indignum, mores cum pietate docet.
Qualibus ornatam gentem sibi quilibet optet,
Quem DEVS ad fasces eligit, atq; uocat.
Hos igitur uersus placido Comes inclyte uultu
Aspice, nec male fer, nomen inesse tuum.
Non aliud decus est Heroibus amplius ullum,
Quam bene Pierio uelle sodalicio.
Fortibus imbelles, locupletibus esurientes,
Principibus curæ sint Heliconiades.

Datum Erphordiaë Calendis Aprilis, Anno
M. D. LXV. T. Cels. deditis.

Ludouicus Helmboldus
Mulhusinus.

Inuocatio numinis.

DVm cano, quæ nobis uitæ præcepta reliquit
Nilus, ab ætherca spiritus arce ueni.
Atq; pijs facilem præbe conatibus auram,
Descendat cœlo Pieris, atq; Charis.
Suauibus ut reddam numeris, quos casta iuuentus
Discat, & albertes seruet ad usq; comas.

SENTENTIAE NILI.

I.

ACcusare suos mores in crimina uersos,
Est resipiscentis primus ad astra gradus.
Turpis enim lapsus quem pœnitet, ille resurgit:
Et mala detestans, iam meliora facit.

II.

Qui temere iacitur, lapis haud abit absq; periclo:
Nanq; regi casus mente, manuue nequit.
Cum maiore leuis uox est discrimine iuncta,
Quæ ruit incautis præcipitata labris.

III.

Quo tibi uis omnes studio, uel munere promptos,
Omnibus id simili disce referre modo.
Fac, tibi quod fieri cupis, & quod spernis, omitte:
Quæ tibi sunt, alijs sunt quoq; nota uiris.

A iii

Iusticia

Alles vobis in d. h. i. f. g. m. f.

IIII.

Iusticiæ potius cultorem dextera monstret,
 Quam uano iactet te tua lingua sono.
 Quid sine re titulus? mera quid iactantia? cessent
 Ora loqui, si non est operosa manus.

V.

Non, qui multorum miseretur, sed pius ille
 Est homo, qui nulli um facit, atq; nocet.
 Hoc etenim præstans, fortunæ nullius autor
 Est alij, propter quam miserandus eat.

VI.

Quid nocet? in paleis fessum deponere corpus,
 Si paleæ mollis dona soporis habent.
 Nec prohibent grauibus sine curis ducere uitam,
 Sed tranquilla uiris corda manere sinunt.
 Quid iuuat econtra? sublimem scandere lectum,
 Eius & aurato ponere membra sinu.
 Si circumuolitant Furia, misereq; iacentem
 Exagitant: humuli malo quiete frui.

VII.

Omnes ille sua dulcedine uincit amicos,
 Suauior est Siculis, Cecropijsq; fauis.
 Cuius amiciciam non commoda lauta sequuntur,
 Delicias inhians qualia mundus amat.
 Sed bona conuersans animæ qui pabula præbet,
 Qualia cœlestis plurima fundit ager.

Qui

Qui docet egregijs iunctas uirtutibus artes,
Quicquid & aduerso tempore præstat opem.
Mæstaq; solatur monstratis pectora cœlis,
Et facit intrepida fidere mente DEO.

VIII.

Lingua diserta DEI tibi munere contigit, ornet
Laudibus assiduis lingua diserta DEVM.
Brachia, crura, manus, domino uegetante mouentur,
Hunc operando colant brachia, crura, manus.
Spiritus æthereus mens est, autoris honorem
Cogitet, ut maneat spiritus æthereus.

IX.

Non toga longa sacerdotem, neq; candida uestis,
Infula cum mitra nec speciosa facit.
Sed didicisse DEI sermones, atq; tenere
In uita, fas est quem tenuisse, modum.
A se diuersos ne sancta professio mores
Arguat in tali, plebe uidente, uiro.

X.

Omnibus impurum uitij se dedere seruum,
Res est, deterior qua nequit esse, caue.
Atq; rei dominus si uis alicuius haberi,
Te dominum uideat uicta libido suum.

XI.

A iij Cum

*Cum leges alijs uitæ præscribis honestæ,
Legibus exemplum protinus adde tuum.
Præclare tantum ne de uirtute loquaris,
Sed peragas etiam, quæ peragenda doces.
Plus exempla ualent præceptis, nullus in ore
Est uigor, accedat in studiosa manus.*

XII.

*Si ualidi firmo tibi sunt in corpore nerui,
Ingenio uis est insita si qua tuo.
Ne magni facias illam, neq; laudibus ornes,
Ni, per eam quæ sunt efficienda, facis.
Non est uirtutis possessio clara putanda,
Vsus ea nisi quis, sicuti debet, erit.*

XIII.

*Sancitæ legi dignos habiturus honores,
Nil secus in uita, quam iubet ipsa, gere.
Non melior cultus, nec honorificentior alter
Est: morem legi qui gerit, ille colit.*

XIIII.

*Terrarum ciuis non est, sed transit ut hospes,
Quem mundana nihil (ceu peregrina) mouent.
Eminus agnoscit uanæ certamina turbæ,
Despicit, & celsam tendit ad astra uiam.*

XV.

Inuidiæ

Inuidia quamuis parcant ciuilia iura,
Non tamen impunem cætera iura sinunt.
Naturalis enim sequitur uindicta, facitq;
Inuidus ut pœnas exigat ipse suas.
Ipse grauem multam se postulat, ipse seueri
Iudicis est instar, carnificisq; sibi.
Nam male uicino dum uult, infestaq; spargit
Omina, se magnus afficit ipse malis.
Lædit eum, cuius poterat uirtute iuari,
Et sua corda graui morsa dolore uorat.

XVI.

Diues adulando tibi ne quærat^{ur} amicus,
Libertas turpi præstat amicitia.
Vlla nec utilitas ita te seducat, ut ausis
Propter eam uero dissona uerba loqui.
Alteriusq; tuæ linguæ dare nutibus usum,
Ut soli dicas, qualiacunq; placent.
Porro uelut non est fauor assentando parandus,
Sic neq; per reprobos ira mouenda sales.
Irritare caue dictis mordacibus hostem,
Propter seuitiam qui fugiendus erat.

XVII.

Corporis instaurant exhaustum Mastica robur,
Languida si modico membra liquore rigant.
Amixtas animæ uires cœlestia reddunt
Dogmata, ueracis tradita uoce DEI.

A p Dulcibus

XVIII.

Dulcibus ~~et~~ uarijs epulis non obrue uentrem,
 Plus nutrimenti coena salubris habet.
 Quam tibi si dederit mediocris cura, quid ultra
 Queras? luxuriae lauta uenena fuge.

XIX.

Si tua iudicio uulgi uis acta probari,
 Si laudem captas plebis in ore sitam.
 Non melior uulgo, neq; doctior esse studebis,
 Cum uulgo sapias, nec bene sanus eris.
 Vulgo, uulgari delinquens more, placebis:
 Per similes mores conciliatur amor.

XX.

Corporis indomitus furor est, uigilanter habenas
 Serua: nec stimulis parce, nec aufer onus.
 Quin humoris illud tanta grauitate ferendum
 Inijce, sub quanta concidat iste furor.
 Ne petulanter agant, prauis affectibus obsta:
 Ne male te cogant uiuere, coge mori.

XXI.

Ille laboris amans, ~~et~~ sedulus est operator,
 Nulla cui uicui temporis hora manet.
 Qui, licet ad finem numerosa negocia ducat,
 Plura tamen, quam sunt ante peracta, parat.
 Et nihil in uita breuius labentibus horis
 Inuenit, elapsis omnibus, haeret opus.

Nudam

XXII.

Nudam Christiade formam tibi sumere noli,
Est speciosa quidem, sed nihil ista ualet.
Nam penetrans oculus domini praeordia lustrat,
Hæc exploratam non probat ante fidem.
Ergo maiori tibi sit prudentia curæ,
Qua mens agnoscit rite, colitq; DEVM.
Ne Christi cultor specie, uel nomine tantum,
Sed quoq; re uera sis, maneasq; pius.

XXIII.

Mille scatent uitijs homines, non ullius autor
Est DEVS, accumulatur quilibet ista lubens.
Impia sepe tamen uox inculpabile numen
Arguit, & causam clamat esse mali.
O grauis impietas, admittæ crimina culpæ
In benefactorem uelle referre DEVM.

XXIII.

Auribus & linguæ caueas: utraq; periculum
Grande manet, certa ni ratione regis.
Nam sine delectu quiduis audire, loquiue
Officit: & res est ardua, scire modum.

XXV.

Quo nihil eterno prius est, neq; maius ab æuo.
Est opus imprimis, ut uereare DEVM.
Non tamen atrocem uelut hostem, siue tyrannum:
Est pater, omne bonum dat tibi, semper ama.

In son

In socios uero coetus ita dirige uitam,
Testis ut in proprio sit tibi corde bonus.
Ne quibus in factis te conscius arguat error,
Et placidum nunquam pectus habere sinat.

XXVI.

Quicquid agis, quocunq; loco, quacunq; sub hora,
Crede, tibi coram semper adesse DEVM.
Sic, oculis eius quæ sunt indigna, cauebis:
Sic facies, quæ sunt grata futura uiris.

XXVII.

Laus operum non sit finalis causa tuorum,
Despiciat uanum mens generosa decus.
Ambitiosa suas labra non admittat in aures,
Magniloquo, fugiat, quicquid ab ore uenit.
Et caueat, merito sibi ne conuicia dici
Possint, haud ullo sit reprobanda modo.

XXVIII.

Egregium si quid cordato pectore præstas,
Si tua se uirtus exerit ante uiros.
Gaudia propter eam tibi sunt concessa, modestus
Sis tamen, elatum ne qua ruina trahat.
Aspera felici qui transijt æquora cursu,
Turgidus in portu nauta perire potest.

XXIX.

Notior

Notior assiduum quo lex est facta per usum,
Hoc maiora tibi porro gerenda dabit.
Discipulum semper te, non habitura magistrum
Est: imperfectus post benefacta manes.

XXX.

Principijs rerum fines præmitte, nec ullum
Incipe, quin totum præmediteris, opus.
Sic manus errabit minus, & spem lucra sequentur:
Certus ubiq; labor præmia certa capit.

XXXI.

Hora suprema uenit propius, reminiscere semper:
Semper enim propius hora suprema uenit.
Nec minus in tenebris, quam clara luce propinquat:
Viue propinquantis nocte, dieq; memor.
Iudicium meditans, Acheronta, Stygemq; timebis:
Et minus in mundi gaudia pronus eris.

XXXII.

Nascuntur crebra de consuetudine mores:
Conuersare bonis, si bonus esse cupis.
His quemcunq; uides nulla ratione probari,
Ille sodalicio debet abesse tuo.
Nam malus est, mala sunt eius commercia, delent
Scintillas, animi quas melioris habes.

XXXIII.

Innocue studeas uitæ, neq; damna cuiquam
Intentes uastro pectore, uoce, manu.

Sed

*Sed quaecunq; facis, quæ dicis, quæ meditaris,
Omnia multorum commoditate regas.*

XXXIII.

*Ne tibi leticiam pariant, quæ florida mundus
Instabilis sese iactat habere bona.*

*Omnia gramineo sunt nanq; simillima flori,
Quo leuiter tacto, forma decora fugit.*

*Flaccidus inclinat caput, occidit : occidit usu
Exiguo mundi non diuturnus honor.*

XXXV.

*Tristia cum pateris, grates age, uotaq; funde :
Vota iugum leuius, quam fuit ante, dabunt.*

XXXVI.

*Si qua ferenda tibi grauis est tentatio, forti
Pectore fer, quali sæpe tulere patres.*

*Liber ea nemo uiuit, syncera probatur
Tristibus ærumnis, arguiturq; fides.*

XXXVII.

*Longanimis DEVS est, noli reprehendere : mundus
Indiget omnis enim tam patiente DEO.*

*Omnibus æterni patris illa benigna uoluntas
Pharmacum est, nemo uulnere nanq; caret.*

*Peccarunt alij, neq; tu sine crimine uiuis :
Supplice longanimum uoce precare DEVM.*

XXXVIII.

Totus

Totus inæqualis status est mutabilis æui,
Vir bonus haud melius, quam sceleratus habet.
Imo deterior plerunq; potentior exit,
Ditior est iusto iura perosus homo.
Digna quidem sunt hæc odijs, at iurgia nemo
Propterea dicat, ceu probet ista, DEO.
Plurima quottidie contemptu legis aguntur,
Quæ peragi prohibet, punit & acta DEVS.

XXXIX.

Explorare decet proprios examine mores,
Alterius uolumus quando mouere probra.
Acres ut stimulos reprehensio nostra remittat,
Et, quibus ante fuit dura, sit æqua uiris.
Nos reperimus enim pollutos sordibus iisdem,
Et delictorum ter quater esse reos.
Quæ, licet in quouis alio leuiora uidemus,
Digna tamen grauibus ducimus esse minis.

XL.

Psalmus. ad astra docens cum palmis tendere uocem,
A labijs nunquam debet abesse tuis.
Nanq; DEI nomen quoties auditur, atroces
Dæmonas ancipiti fortius ense fugat.
Numinis omnipotens manus implorata repellit,
Circumiens Sathanas quæ mala cunq; parat.

Handwritten note:
Sigt. 112
v. ca. 14.

XLI.

Sobria

Sobria mens oret, ne forsitan ebrius error
A domino, domino displicitura petat.
Ne nocitura sibi, ne se non digna precetur,
Ut solet affectum mens imitata meri.

XLII.

Conclusum memori circumfer pectore numen,
Et, tibi quod sancte subijcit, illud age.
Nec (tibi quod patriam dabit) obliuiscere cœli,
Sed nihil æthereas suspice præter opes.

XLIII.

Inijce luminibus frenum, nisi caueris, ibunt,
Quo minime fas est, nanq; repente uolant.
Nulla uolubilior res est ocularibus astris,
Circumuoluantur ne sine lege, rege.

XLIIII.

Sit modus in lingua, quem si temeraria transit,
Eloquitur, satius quæ tacuisse foret.

XLV.

Vt campum ferro proscindit, & eruit herbas,
Vnde nihil, præter damna, colonus habet.
Sic animum legis studio cole: pectore prauos
Extirpat sensus, illecebrasq; fugat.

XLVI.

Ostentare tuæ noli uirtutis honorem,
Sed celans ipsum, corda modesta gere.

Interea

Interea rectum uitæ sic perfice cursum,
Gaudeat ut testem se tibi quisq; dare.

XLVII.

Sperne uoluptates, caro quas affectat, ut ori,
Atq; gulæ faciat, uentriculoq; satis.
Impuras reddunt animas, & corpora fœdant,
Totus homo per eas sus fit amica luto.

XLVIII.

Non quascunq; caro uult, sed quibus indiget, escis
Vtere, si bene uis artubus esse tuis.
Nec desiderium nullis explebile specta,
Sed quod naturæ sufficit, illud ede.

XLIX.

Delicijs homini non est assuescere tutum,
Propterea nullas elige, sperne, fuge.
Conciliant nimium uitæ terrestris amorem,
Et faciunt pronum pectus habere solo.
Ex utroq; DEI contemptus nascitur: odit
Sidera, terrarum quisquis amore flagrat.

L.

Gaudia, quæ mundus parit, auersare: fatiscunt
Tota, nec exiguo tempore certa manent.
Et uelut ipsa cadunt, sic exultantibus obsunt:
Supplantant, temere qui saliere, uiros.

LI.

B

Silō

Si locuplete penu fruere, si diuite Gaza,
Pauperibus larga diuide dona manu.
Si nihil est, quod distribuas, neq; collige quicquam
Iniusto studio: iure parentur opes.

LII.

Arma tibi contra mundum ieiunia danto,
Illa sua carnem debilitate domant.
Mœnia, tartarco quæ te tueantur ab hoste,
Tangentes animo sidera sunt preces:
Quæ mala criminibus præcordia, membraq; purgent,
Stillanto madidis pura lauacra genis.

LIII.

Respice cum genitu transactæ tempora uitæ,
Et reputa, quicquid feceris usq; mali.
Hoc etenim prodest animæ, compuncta dolore
Assiduo, posthac cautior esse studet.

LIIII.

Tristis egenorum moueat tua pectora casus,
Ne pressos dura sorte iacere sinas.
Sed releues, quacunq; potes ratione: uidebis
Gratos, æterno dant pia uota DEO.
Atq; rogant, nobis ut debita magna remittat
Iudex, qui rigido iure timendus erat.

LV.

Cum nihil est sanctis, quo corpus alantq; tegantq;
Ante tuas querulos ne patiare fores.

Sed

Sed quod habes, facias illis commune: sub uno
Quandoquidem tecum suntq; manentq; DEO.
Huic tua facta canunt, de te præconia dicunt,
Hunc reddenda tibi præmia digna petunt.

LVI.

Christicolas adiens coetus, ubi sacra docentur,
Ac fiunt, præsens numen adesse puta.
Et tibi persuade, te iam super astra uagari,
Infera luminibus sint aliena tuis.
Terra, quasi nullo sit tempore cognita, mente
Excidat, illius sit neq; lingua memor.
Euanescat humus studio pietatis, Olympus
Clarescat: celebret uox, animusq; DEVM.

LVII.

Quemlibet esse suis contentum rebus oportet,
Siue uelit, seu non, quis bona plura dabit?
Hanc memori semper doctrinam pectore serua,
Nec pete fortunis ulteriora tuis.
Sollicitus ne sis, sed alendi corporis omnem
Linque DEO curam, nul grauat illa DEVM.

LVIII.

Ocia longa tuæ noli concedere carni,
Nam melior non fit, sed magis inde perit.
Quotidianus eam labor, assiduusq; fatiget:
Nulla dies abeat, qua nihil illa gerat.

B ij

Vtile

Vtile sit, quod opus faciet : nullumq; remittat
Tempus, ad ingenium nanq; repente redit.
Mutari neq; tota potest, neq; tota domari :
Nititur in uetitum semper auara mali.

LIX.

Quo preciosior est amplo non alter in orbe
Potus, ab immodico sit procul ore merum.
Parce sumatur : nam plena fauce receptum,
Corporibus bibulis, ingenijsq; nocet.
Vtraq; gustatum modice iuuat, utraq; firmat,
Atq; suum fessis robur utrisq; nouat.

LX.

Ira repente ruit, moderare repente ruentem,
Si pudet insani nomen habere uiri.
Nanq; modum rapidis excedens aestibus ipsa
Fit furor, & peius quam furiosus agit.

LXI.

Cum tua sunt morbis obnoxia membra, dolentq;
Ut nullum recte munus obire queant.
Prima requirendæ uia sit, ratioq; salutis,
Implorare DEI saluificantis opem.
Postea te medicis quoq; commendare licebit,
Qui morbos, illo non reuente, leuant.

LXII.

Nemo sacerdotum tibi non uideatur honore
Dignus, at ex multis elige quenq; bonum.

Cum

Cum quo uerseris, cuius uirtute, probisq;
Moribus, & studijs efficiare pius.

LXIII.

Quæ domini domus est, illam reuerenter habeto:
Propter eum, cuius dicitur esse domus.

Qui sua uult in ea præconum uoce doceri
Facta, quibus nobis est reparata salus.

Efficitoq; simul, domus ut sis ipse, colendam
Quam petat aetherea lapsus ab arce DEVS.

LXIIII

Quando pius sacra conuentus habetur in aula,
Detineat segnem te mora nulla domi.

Omnia posthabeas priuata negocia, curras,
Et subeas magni publica tecta DEI.

Illic nanq; sonant præconia, cantica, uota,
Quæ perturbatæ pharmaca mentis habent.

Fluctibus eripiunt mundi, neq; tanta putari
Sæcla, putata prius quanta fuerunt.

Siue repentino ueniant bona, siue recedant
Impete, semper idem pectus habere docent.

LXV.

Omnia, terrenus bona quæ complectitur orbis,
Ut neq; principio, sic neq; fine carent.

Tempore proueniunt, & eo labente recedunt,
Perpetuos neq; sunt nata manere dies.

B ij

Æquius

Cum



*AEquius ergo feras, ea cum fugientia cernis,
Et sine tristitia fluxa perire sinas.*

LXVI.

*Si qua uoluptatum se titillatio membris
Insinuare tuis incipit, atq; iubet.
Ut facias, prauæ quæ sunt gratissima carni:
Præcipitem noli cæcus mire uiam.
Sed meditare prius, quantum res fœda pudorem
Inter mortales sit paritura tibi.
Si minor est hominum reuerentia, nec satis una
Te mouet: in cœlo noueris esse DEVM.
Qui uidet obscœnæ secreta libidinis acta,
Et grauius laesus nescit inulta pati.*

LXVII.

*Auribus, ac oculis opus est munimine, claudi
Quo possint: semper nanq; patere nocet.
Omnia nequitiae contendunt tela sub ipsos,
Si penetrant, totus uulnera sentit homo.
Amittit sanam mentem, fit nequior, omnes
Pronus in errores, illecebrasq; ruit.*

LXVIII.

*Cum tuus è labijs sermo contendit ad astra,
Vultq; salutato dicere uota DEO.
Præuia currat ei mens, spretis sidera terris
Lustret, & æthereas nil nisi spectet opes.*

Inde

Inde relapsa (preces ut saepe leuissima causa
Impedit) ad superas est reuocanda domos.
Quæ ieiuna fuit, repetita precatio uires
Accipit, ardenti pectore missa ualet.

LXIX.

Spiritus humane cum non ferat oia mentis,
Perpetuas obeat sed meditando uices.
Quæ mala concipiet phantasmata, disijce uentis ?
Quæ bona sunt, alto corde repostata tene.
Et procul abiectis leuioribus, illa retracta,
Quæ minus ingenio sunt nocitura bono.

LXX.

Ne doleas, quod humi tua te fortuna locauit,
Nec tulit ad regum culmina, siue ducum.
Imo uoluptatem tibi fors ea gignat, & inter
Gaudia præcipuum debet habere locum.
Nanq; grauis non est humili metuenda ruina,
Qui cadit in plano, mollius ille cadit.
Et citius surgit, quam præcipitatus ab altis
Turribus : in mortem, qui ruit inde, ruit.

LXXI.

Corporis hic exercendi modus esto : rebellis
Spiritus, famulam se sciat esse caro.
Spirituale ferat captiua libido capistrum,
Nec domino pugnam seditiosa paret.
Affligenda tamen non est, ut inepta labori,
Nec sibi, nec reliquis utilis esse queat.

B iiij

Quod

de



Quod si contigerit, te morbus ut occupet, aegri
Corporis hac curam conditione gere.
Integer ut membris redeat uigor, & suus usus:
Non ut delicijs mollia facta labent.

LXXII

Accidit, ut tua mens mala cogitet: ad bona transi,
Atq; fac, ut cedant impia sensa pijs.

LXXIII.

Tolle tuos oculos, & contemplare decorem
Aetheris, astrorum lucida signa uide.
Qualia sint illic, perpende, futura beatis
Gaudia, placati numinis ante thronum.
Et desiderio leuiore tenere mundi,
Nil tibi iucundam, dulcem terra dabit.
Anxia damnabis corruptæ secula uitæ,
Incola coelorum protinus esse uoles.

LXXIII.

Si nimis alta rapit sursum speculatio mentem,
Ut supera totum quærat in arce DEVM.
Atq; reuelato non sit contenta, sed ultra
Coelitus exhibitum progrediatur opus.
Non bene succedet studium, comprehendere nescit
Incomprehensibilem capsula parua DEVM.
Numinis immensa de maiestate uolutus,
Præcipuus in errores, atq; pericla cades.

Nam

Nam tutum nihil est, tutis quod finibus exit,
Transgrediturq; modum, qui retinendus erat.

LXXV.

Si qua tibi ueniunt in mentem praua, maligni
Pestiferum semen Daemonis esse puta.
Sic ea nanq; tui relinquunt penetralia cordis,
Cumq; pudore mali seminis autor abit.

LXXVI.

Immodico noli diducere labra cachinno,
Immodicus crimen nanq; cachinnus habet.
Debilitat neruos animæ, quæ more procaci
Degenerans, legis ferre capistra negat.

LXXVII.

Nostræ pars animæ rebus debetur agendis.
Pars precibus, sancti quas probat aula DEI.
Sic procul à nobis stygius prohibebitur hostis,
Nam nihil, inueniens ocia nulla, potest.

LXXVIII.

Non tenuis labor est sacræ meditatio legis,
Forte tibi paruum ne uideatur opus.
Cum mens doctrinæ flagrans cœlestis amore,
Non temere linguam uoluere scripta sinit.
Sed concurrat ei, pariterq; laborat, et alte
Versat: ut exacte, quod legit illa, sciat.

LXXIX.

B

o

Quando

Quando manus adhibes operi, quod honesta requirit
Vita, pius læto Psalmus ab ore sonet.
Mens tacitis precibus coelestia limina pulset,
Nam DEVS usq; sui nos meminisse iubet.

LXXX.

Quicquid agis, domino commendes: atq; preceris,
Ille tui studij rector ut esse uelit.
Precipue si quid cœptas, quod opinio reddit
Ambiguum, menti nec sinit esse ratum.

LXXXI.

Si cupis, ut manuum fiant diuina tuarum
Gesta, nec in sterili tota morentur humo.
Fructibus inde tibi natis, non utere solus:
Sed da pauperibus, quot dare cunq; potes.

LXXXII.

Sanctorum placeat tibi consuetudo uirorum,
Quicquid ab his audis, pectoris abde sinu.
Hinc manifestus enim tibi fit DEVS, atq; uoluntas
Ipsius: à sanctis discere sancta potes.

LXXXIII.

Ne simulata tibi pietas imponat, ut illum
Sanctum, qui sancte nil agit, esse putes.
Respicias operum discrimina: qualia constant
Ipsa, uirum talem quemlibet esse docent.
Omnis enim proprio fructu dignoscitur arbor,
Nec uia iudicij certior ulla patet.

Religio

LXXXIII.

Religione uiros prestantes quando uidebis,
Ne careat fructu uisio sancta, caue.
Semper abire stude melior: quo lumina uultu,
Quoue regant habitu cetera membra, uide.
Non nihil amborum iuuat obseruatio, mores
Arguit incomptos, compositosq; docet.

LXXXV.

Pectore te purum, castum te corpore presta:
Vtraq; res templum te facit esse DEI.

LXXXVI.

Quod geris, haud aliter templum seruare memento,
Quam sibi quod proprium fecerit ipse DEVS.
Cuncta sub examen qui uult commissa uocare,
Iuxta coelestis iura tremenda fori.
Qui radiante sui te fecit imagine clarum,
Vultq; sub extremum labe carere diem.
Exigit hanc à te uitam, quam iusta requirit
Regula: nul igitur non reuerenter age.

LXXXVII.

Qui nihil in mundo præter terrestria curant,
Atq; uoluptati dedita corda gerunt.
Impius illorum conuictus mentibus obstat,
Ne propiore DEVM cognitione petant.
Ergo nec ore tuo dignere, nec auribus istos:
Sed fugias cupidos mutua uerba loqui.

Acrid

LXXXVIII.

*Acria quando tibi quisquam conuicia dicit,
Num quid ijs dignum feceris ante, uide.
Si nihil inuenies, euanescente uapore
Probra minus cures, & leuiora putcs.
Magna quidem subiti fumi caligo uidetur,
Tota sed aëria mox regione perit.
Nonnihil insontem mendax quoq; rumor obumbrat,
Mox tamen in nihilum totus & ipse redit.*

LXXXIX.

*Cum uiolenta tuis infert iniuria damnum
Rebus, & aduersum te sine lege furit.
Non aliud, quam quod patientia præbet, asylum
Sit tibi : tutus, eo cum properabis, eris.
Omnis in autorem clades reuoluta redibit,
Te quibus inuasit, fraudibus ipse cadet.*

XC.

*Gloria, diuitiæ, mundana potentia, multis
In magno precio sunt, nimiumq; placent.
Tu uero cernens eadem, meditare : quot olim
Hæc tenuere uiri ? quis sine fine tenet ?
Fluxa suos mutant dominos, pereuntq; : perire
Cuncta uidens, nullis te patiære capi.*

XCI.

*Fortiter ærumnas tolera : nam plurima uirtus
Nascitur inter eas, incolumisq; manet.*

Non

Non secus, atq; rosas inter spineta uidemus
Crescere, nec teneris floribus ista nocent.

X C II.

Omibus anteferas uirtutem rebus, & ipsi
A Equiualece nihil prorsus in orbe putes.
Instar enim domini nullo mutabilis æuo
Est, ideoq; manet semper, ut ipse DEVS.

X C III.

Omnia cum peccatori succedere cernis,
Ut uult, ac inopem nullius esse rei.
Non illi propter res aduersere secundas,
Liuor ut alterius prosperitate dolet.
Nec simul exultans gratantia uerba loquaris,
Gaudet ut alterius prosperitate fauor.
Sed lacrymas oculo potius turgente profundas,
Exigit ut miseri sors lacrymanda uiri.
Eius enim capiti iustissimus imminet ensis,
Pœnæ compensans asperitate moram.

X C IIII.

Desidiam matrem cunctorum crede malorum,
Nam bona, quotquot habes, eripit, atq; uordat.
Quotquot adhuc uero procul absunt, illa repellit
Longius, & nunquam te reperire sinit.

X C V.

Conscia multorum scelerum qui brachia gestat,
Rubra nec in uultu signa pudoris habet.

Sed

*Sed noua delictis delicta prioribus addit,
Nec, licet admonitus sit, meliora probat.
Pectoris ille sui crudum mollescere uulnus
Haud sinit, asperius saepe nouando facit.
Spes fugit errantem procul à regione salutis,
Trux desperantem deniq; Parca rapit.*

X C V I.

*Cum tua sollicitus moeror praecordia pulsat,
Cuius in hoc mundo Pharmaca nulla uides.
In memorem reuoca caelestia gaudia mentem,
Atq; futura pijs praemeditare bona.
Protinus accedet diuini gratia flatus,
Et tibi tranquillum cor, animumq; dabit.*

X C V I I.

*Omnibus aequali facilem uirtute fidelis
Se gerat, & nullo celsior esse uelit.
Nanq; uiris humilem tantum se ferre quibusdam,
Non est ingenuus, sed simulatus amor.*

X C V I I I.

*Nulla propinquorum res praeponatur amori,
Praeter eam, sine qua non potes esse pius.
Nanq; DEI maior sit quam reuerentia fratris;
Hunc quoad illius non uetat ara, cole.
Primus amabilem DEVS est, homo proximus illi;
Longe post hominem caetera cuncta iacent.*

X C I X.

Non,

Non, nisi lege DEI salua te iunxeris ulli :
Nec tuleris, quam res impia poscit, opem.
Nanq; DEVM spernit, neq; dignum censet honore,
Qui potiore loco ponit, habetq; uirum.

C.

Ne defende malos, nec iniquas assere causas :
Nanq; patrocinium turpibus omne nocet.
Deteriora iubes moliri, quando tueris :
Et sis concessi criminis ipse reus.

CI.

Instrue peccantem, monitisq; fidelibus urge,
Ut mala, quæ fecit, digna pudore sciat.
Errantem uero non protinus obijce pœnis,
Nec tota lapsi crimen in urbe cane.
Hunc etenim docuit probrosa calumnia morem,
Illum corrector non inimicus habet.

CII.

Turpia dicta caue, sanctis sermonibus ora
Imbue, de sola religione cane.
Auribus obscœnum placeat nihil, exulet illis
Scurra leuis : subeat, qui sacra uerba facit.
Exercere piæ commercia nanq; loquela,
Flamma boni zeli cordibus esse solet.

CIII.

Mens Ecclesiolæ cum sit sua cuiilibet instar,
Quam proprie constat queng; tenere domi.

Quottia

Non,



Quotidie sacras, decet, ut peragamus in ipsa
Res, Ecclesiola quas DEVS autor amat.
Agnoscamus eum regem stellantis Olympi,
Regi dicamus Carmina, uota, preces.

CIIII.

Quando pius sacra coetus glomeratur in aede,
Tu pede uicinis non pigriore ueni.
Si nihil est, illic quod agas: ubicunq; uagaris,
Ex euangelico dogmate psalle melos.

CV.

Gloria uirtutis, qua praedita pectora sancti
Gestant, imprimis suspicienda uenit.
Immortalis enim cum sit, post funera uiuit,
Atq; sibi toto nescit in orbe parem.

CVI.

Maiori nunquam tibi digna uidebitur esse
Improbilas odio, nec fugienda magis.
Quam si perpendes, ea quod sit fulgidus ensis,
Quem Sathanas contra nos gerit, atq; uibrat.

CVII.

Quando uoles aliquem reprehendere propter iniqua
Facta, nec absq; bona fruge monere sui.
Compatientis habe uultum, neq; uoce minaci
Aspera, sed leni da bona uerba sono.
Mollibus admonita cedent sermonibus aures,
Accipient lumen corda reclusa nouum.

Verba

CVIII.

Verba tibi quales homines alterna loquantur,
Respice: non eadem reddere cuiq; decet.
Dicta pios inter fratres coelestia profer,
Indignis noli dicere sancta uiris.

CIX.

Quæ bene cœpisti, meritura negocia laudem,
Si labor optato fine potitus erit.
Omnibus illa modis urge, ne manca relinquas,
Emigrare procul cūm tibi tempus erit.

CX.

Si pedibus certas, noli desistere cursu,
Te nisi uictorem uiderit ante scopus.
In uirtutis enim certamine semper oportet
Currere, nec pigra stare subinde mora.
Sed bene susceptos bene continuare labores,
Donec ad extremum perueniamus opus.

CXI.

Quod domini mandata iubent, contemnere noli:
Nec, quasi rem precij nullius, illud habe.
Quisquis enim temere leuiora negocia tractat,
Et sequitur, potius quæ fugienda forent.
Ille sibi multos studium per inane labores,
Grandeq; cum nulla fruge facessit opus.

CXII.

Exercenda tibi patientia semper, & illo
Tempore, quo fors est rebus amica tuis.

C

Vt,

erba

Vt, grauior quando fortuna ferenda redibit,
Auxiliatrices porrigat illa manus.
Plenaq; subsidijs armamentaria pandat,
Vnde feras cunctis obuia tela malis.
Difficilisq; penes te sit uictoria pugnae:
Fortior est nullus uir patiente uiro.

CXIII.

Improba quando tuae subeunt phantasmata menti,
Et male quid prauo pectore uelle iubent.
Sacra refutandis infer responsa profanis,
Et quae sancta DEI lex docet, illa tene.

CXIIII.

Sedula cura tuos oculos regat, atq; nefandae
Abstrahat à uitae putribus illecebris.
Fumus ab his etenim surgens, nimis officit illis:
Densaq; fuligo pectora nigra facit.
Offundens animae tenebras, ita turbat eandem,
Vt nequeat clara luce uidere DEVM.

CXV.

Si mala nonnullos te consuetudo per annos
Captiuum tenuit, nec tulit esse probum.
Nitere paulatim contra, desuescere discet,
Omnibus hoc aliqua parte diebus age.
Spinaq; difficili rescabitur absq; labore,
Radix est animae cuius adacta tua.

CXVI.

PURUS

Purus ut est dominus, sic illum pectore puro
Dilige, non ficta religione cole.
Nec quid ei præfer, sed in omnibus omnia tergo
Pone creatoris posteriora tui.

CXVII.

Si cupis esse DEI domus, & uenerabile templum,
Assiduum fac ei, concelebraq; sacrum.
Nempe piæ nunquam precis intermitte laborem,
Ore sed assiduo, cordeq; uota cane.

CXVIII.

Qui sua non curat, sed negligit, & male uiuit,
Illum consilijs non adhibeto tuis.
Nanq; malis gaudens, osor simul esse bonorum,
Et sua sor, nulla non ratione nequit.

CXIX.

Rebus ab impuris, quæ te corrumpere possint,
Abstineas, quanta sedulitate potes.
Atq; diem prorsus nullum patiaris abire,
Mystica quo tibi non præbeat ara dapes.
Talis enim sacrosanctæ communio cœnæ,
Viua redemptoris uiscera nostra facit.

CXX.

Cum DEVS imposita cruce te castigat, ab ore
Impatientis eant murmura nulla tuo.
Verus enim genitor nullum sine mente paterna
Corrigit, euentum res habet atra bonum.

C ij

Propter

Propterea dignus, tanquam benefactor, ut à te
Grates, & laudes audiat ille suas.

CXXI.

Ex ignominia, qua te tuus afficit hostis,
In mentem ueniat nil tibi triste tuam.
Nam præter culpam, si uim patiæ probrosam,
Præmia cum magno scœnore deinde feres.
Sin, meritum passus probrum, resipiscere disces:
Effugies pœnam, qua periturus eras.

CXXII.

Vilius est umbra nihil, euanescit, & ambas
Eludit, tentes si retinere, manus.
Mobiliusq; rota nihil est, impulsæ repente
Voluitur, & celeri summa fit ima uice.
Confer utrisq; tuæ felicia gaudia uitæ,
Et quas ærumnas tristior hora uehit.
Nam uelut umbra, diu nequeunt durare, recedunt:
Et cito uertuntur, non secus atq; rota.

CXXIII.

Ditior in domino fieri conare, nec ullum
Huius inops studij tempus abire sine.
Nam modicum modico qui sæpius addit, amatas
Omnibus ille breui tempore coget opes.

CXXIII.

Si graue supplicium, si uis uitare molestas
Plagas, ne lingua sis petulante, caue.

Te so

Te socium nullis obtrektoribus adde,
Alterius famam labe carere sine.
Improba nanq; uiris conuicia dicere mos est,
Quem nequit impunem numinis ira pati.

CXXV.

AEdibus omne tuis cupiens arcere flagellum,
Vicino dicas crimina nulla tuo.
Nam qui fecit eum, DEVS exardescit in iram,
Si quem probroso conspicit ore peti.

CXXVI.

Altius ut uitijs tollas caput, abiice curam,
Quam Polypragmonibus res aliena facit.
Nam tibi suspectos alios quæ crimina reddunt,
Illa tuæ quoq; sunt uel cumulata domi.

CXXVII.

O homo, præ cunctis fugienda superbia monstris
Est, licet immensæ possideantur opes.
Ne tibi propter eam DEVS aduersetur, in omnes
Elatos etenim surgit, & arma mouet.

CXXVIII.

Sis humilis, quanquam sublimi sorte potiris,
Atq; teneas magnum magnus in orbe locum.
Ut DEVS, extremo ueniet qui tempore iudex,
Altius euectum te super astra locet.

CXXIX.

C ij

Vt male

Vt male nemo tibi dicat, maledicito nulli :
Quem bona uerba uidet Momus amare, fugit.

CXXX.

In sancto domini coetu, uel in aede sacrata
Stans, tumidum fastu pectus habere caue.
Nam neq; mundanis qui coram regibus astant,
Fronte leui rident, celsa nec ora ferunt.

CXXXI.

Qua ratione tuam peragas, circumspice, uitam :
Non bene fortuita creditur illa rota.
Nec sine respectu reuerendi iuris, & aequi,
Omnia committens, pessima quæq; patra.
Ne procul à recto digressus tramite legis,
In graue discrimen, perniciemq; cadas.

CXXXII.

Sensibus internis præcepta salubria conde,
Et memori semper mente sequenda tene.
Fac manibus, pedibusq; simul, ne discrepet illis,
Quicquid ages : clarum nomen ut inde feras.

CXXXIII.

Sit uirtutis amans tua uita, sit æmula recti,
Et studeat cunctos pura manere dies.
Integer ut possis alieni criminis esse
Censor, & obijciat crimina nemo tibi.

CXXXIIII.

Surdus

*Surdus ad alterius ne sis monitoria dicta,
Neue rebellis eas, quo prohiberis, iter.
Nec temere quenquam culpes, ne forte superbo
Pectore dicaris sumere multa tibi.*

CXXXV.

*Affera vicini fors non tibi gaudia portet,
Illius à fletu nec tibi risus eat.
Rebus in aduersis nisi spectatoribus ipse
Fabula uis fieri, ludibriumq; tuis.*

CXXXVI.

*Arrige præclaris faciles hortatibus aures,
Cum pedibus promptas affer utraq; manus.
Præmia non deerunt, pulcre decoratus abibis,
Viua tuo capiti gloria ferta dabit.*

CXXXVII.

*Morigeras monitis aduerte fidelibus aures,
Et parere simul mente, manuq; stude.
Ut tibi concilient decus, admirabile terris,
Teq; bono faciant more placere DEO.
His etenim gaudet magni possessor Olympi,
Horum laus operum celsa per astra uolat.
Cultus in his situs est æterni regis, amantis
Sola uoluntati congrua facta sue.*

CXXXVIII.

*A studijs operum nunquam desiste bonorum,
Teq; sat haud ullo tempore scire puta.*

C iij

Sed

*Sed fac, ut extendens bene cœpto tramite cursum,
Quotidie discas, proficiasq; magis.
Huius enim uitæ fuga tempestiua, petendam
Est ad uirtutem recta, breuisq; uia.
Nempe leues mundi post terga relinquere sordet,
Est ad honestatis castra referre pedem.*

CXXXIX.

*Qui desiderio rerum flagrante tenetur,
Quas in perniciem secula nulla trahant.
Ducere pro nihilo bona momentanea debet,
Qualia corruptus plurima mundus habet.*

CXL.

*Viuere si ueram tam re, quam nomine uitam
Expetis, expecta tempus id, atq; diem.
Quo (uelut humanæ lex conditionis ab omni
Exigit) hinc placida morte solutus eas.
Nec tua præsentis uitæ præcordia dede,
Quam odio dignam, qua potes usq; fuge.
Nanq; trocho similem cernis, constantia nulla
Rebus in humanis est: rota stare nequit.*

CXLI.

*Illorum non sit tibi magna cupido bonorum,
Quantumuis multis chara fuisse scias.
Quorum perpetuus non est, sed præterit usus,
Quæq; suis dominis non diuturna manent.*

CXLII.

Prospera

Prospera quos effert fortuna, facitq; superbos,
Ludibrio stultos, nanq; merentur, habe.
Aspera quos uero sors opprimit, atq; fatigat,
Compatiens miseris, quam potes, affer opem.
Nam miserescentem decet hoc, ut sana diserte
Pluribus in libris Philosophia docet.
Ast illud uitreae merces est ultima sortis,
Cui nullus sapiens audet habere fidem.

CXLIII.

Exercenda tibi studio patientia tanto
Est, te martyribus monstret ut ipsa parem.
Nec uideare tibi patiens, nisi martyras aequas,
Et toleres, quod eos scis tolerasse uiros.
Examem siquidem nobis mortalibus instat,
Cor pro teste citans unicuiq; suum.

CXLIIII.

Nil anima ducas prius, aut preciosius esse,
Nec quid ea cultu dignius esse putes.
Sic eris in stadio uirtutis alacrior, ibis,
Atq; fatigari crura querere minus.

CXLV.

Omnibus in rebus seuas corruptio uires
Exerit, & formas mille subinde necat.
Liber ab eiusdem grassante tyrannide solus
Est animus, tumulto nanq; superstes abit.

C p

Perpeo



Perpetuo durant animæ, pereuntibus ergo
Mille bonis illas præposuisse decet.

CXLVI.

Auersam contra sortem tua pectora muni,
Atq; fer æumnas, quas grauis hora uehit.
Qui maiore tibi magnum mercede laborem
Compenset, DEVS est: plurima lucra feres.

CXLVII.

Cum tuus ætherei sermo ferit ostia regis,
Nil, nisi quod mens est præmeditata, petas.
Mollia præteriens, & omittens suauia, dicas:
Da mihi, quæ minime scis nocitura, DEVS.
Corporis, ac animæ da conductura saluti:
Hæc rogitans sapiens, cætera uanus eris.
Nanq; nec illa DEVS dat, nec data forte roganti
Prodesse, imo perniciofa forent.

CXLVIII.

Pauperiem uicio ne uertas, neue reprehendas,
Mille suæ fructus asperitatis habet.
Quos exercet enim, constantes reddit athletas,
Inq; DEI castris peruigilare docet.
Legis in officio studiose continet illos,
Luxuriam suasu qui sequerentur opum.

CXLIX.

Diuitijs noli penetralia pandere cordis,
Nec pars læticiæ sit tua Gaza tuas

Nanq;

Nanq; datæ nummis curæ præcordia uertunt,
Atq; sacras in ijs res abolere parant.
Sic operantur opes, quamuis contraria uulgus
Sentiât, & iunctas cum pietate putet.

CL.

Qui tibi concessum mera uertis in ocia tempus,
Et nihil in uita, quale decebat, agis.
Finis adest, merces dabitur sua cuiq; labori:
O piger ad plagas iam tua terga para.
Gratia subduxit se momentanea ueris,
Sole flagrans æstas ignibus urit humum.
Falce manus acuit messor, purgandus agellus
Est animæ, spmas uellite quisq; suas.

CLI.

Iudicis absconsum nihil est à lumine, cernit
Omnia, quo fuerint cunq; sepulta loco.
Irritus est igitur labor, & persuasio fallax,
Sic abitura putans, quæ sine teste facit.

CLII.

Multa quidem tacite committi crimina possunt,
Mortales oculos multa latere queunt.
Non tamen idcirco designes absq; pudore
Quidlibet, angelicos sed uereare choros.
Aethereis maior reuerentia nanq; ministris
Debetur, quam, te qui genuere, uiris.

Sunt

Sunt inuisibiles, uersantur ubiq; frequentes,
Et lateri nostro proxima turba uolant.
At simul atq; uident aliquid sine fronte patrari,
Se procul auertunt, arripiuntq; fugam.

CLIII.

Asterum iusti semper meditare tribunal
Iudicis, & rigido quas dabit ore minas.
Sic mala fallacis uitæ uestigia linques,
Omneq; mundanæ calliditatis opus.

CLIIII.

Pellere damna procul si uis, procul ocia pellas,
Segnicieq; tuæ ne patiare domi.
Ambo presenti sunt coniunctissima noxæ,
Hoc tibi persuadens, gnauius ambo fuge.
Atq; fac, ut cunctis aliquid fabricere diebus,
Legitima factum quod ratione probes.

CLV.

Quam uarijs eat hic, redeatq; meatibus orbis,
Quam ruat instabili, præcipitiq; rota:
Perpetuo reputa, quæ deinde pericula surgent,
Illorum placido pectore uictor eris.
Nec dubijs animus tuus in diuersa trahetur
Casibus, impauido quidlibet ore feres.

CLVI.

Lubrica ne temere secteris gaudia mundi,
Nec, quas delicias terra subornat, ames.

Nam

Nam uelut imponunt allectis piscibus hami,
Imponunt animæ non secus illa tuæ.

CLVII.

Ne tibi sponte graues casus accerse, sed arce,
Quos potes: instantes fer, neq; cede malis.
Fortibus hîc animis opus est, hîc pectore firmo:
Difficilis tentat lucta, probatq; uirum.

CLVIII.

Afflictas inopis lacrymas ne despice, uersa
Ne uice tu simili despiciare modo.
Nam quibus ille malis pressus, sua fletibus ora
Fœdat, ijs credas te quoq; posse premi.

CLIX.

Cœtibus humanis non maius ab æthere donum
Est, quam moralis Philosophia, datum.
Unigenam uero DEVS hanc dedit, unica mores
Corrigit, & cultu nos meliore iuuat.
Non facilem præbet se cunctis, proxima soli
Vult possessori sola uenire suo.
A paucis colitur, solis cultoribus addit
Ornatum, reliquos degenerare sinit.

CLX.

Virtus est uestis, qua se dominator Olympi
Induit: hanc pura texe, plicaq; manu.
Sic te clara DEI stola uestiet, æthere lapsus
Qui fuit, & nostro sanguine natus homo.

Que

CLXI.

Quæ clandestinis bona sunt obnoxia furtis,
 Et celeri possunt rapta perire dolo.
 Asse minora puta, fuge, despice: tolleq; uultum,
 Et quid in ætherea sit regione, uide.
 Quæ super astra DEVS sudore paranda locauit,
 Impiger assiduo quære labore bona.
 Nullius illa timent uim prædatoris, ab astu
 Libera sunt: Sathanas tollere fixa nequit.

CLXII.

Delicia magno studio fugiantur oportet,
 Nam male correptos præcipitare solent.
 Autores operum sunt, mens quibus ebria gaudet,
 Paulo post uero sobria facta dolet.

CLXIII.

Est peruersa tuæ carnis meditatio, foedas
 Istius illecebras negliges, sperne, fuge.
 Corrumperunt etenim non solum corporis artus,
 Sed quoq; sunt animæ perniciofa lues.

CLXIII.

Munera terrarum quis possidet absq; labore?
 Difficili tenues arte parantur opes.
 Cur igitur fugimus? cur declinamus Olympum?
 Arduus ascensu sit licet, astra uehit:
 Diuitijs, ætas quas nulla uorabit, abundat:
 Quod non propter eas sustineamus onus?

Aspera

CLXV.

Aspera si uirtus tibi, difficilisq; uidetur,
Nec tam sollicito digna labore peti.
Disce, quod inueniet superata molestia finem,
Cum merces nullo sit peritura die.

CLXVI.

Turpe uoluptatum genus absq; pudore secuti,
Non ita securis mentibus este uiri.
Sed reputate, breuis quod sit dulcedinis usus,
Supplicij uero duret amaricies.

CLXVII.

Si rudis est hominum, si sordida, brutaq; uita,
Si nihil humani moris, & artis habet.
Expertem cultus animam liquet esse, suiq;
Immemorem, peius degenerasse feris.
Lugeat ergo suam rationem, quisquis in eius
Cultura quondam tardus, inersq; fuit.
Ploret ob erumnas, quarum spontaneus autor
Est sibi, neglecta dum ratione ruit.

CLXVIII.

Omnia consumi longinquo temporis usu,
Et nihil in terris sine carere scias.
Præter uirtutem, quæ precedentibus annis
Fit durabilior, perpetuoq; uiget.

CLXIX.

Negli-

*Neglige, cum brutis tibi quæ communia cernis,
Quicquid & ijs similem te peragendo facit.
Verum quod monstret te semina ducere cœlo,
Id, quanta poteris sedulitate, gere.*

CLXX.

*Virtutis studio novus efficiaris Adamus,
Si disciplina morigeratus eris.*

CLXXI.

*Si cohibes uentrem, ne luxuriosus aberret :
Imperio linguam non leuiore doma.
Seruus huic ne sis, illi dominator ineptus :
Et petulans magnum det tibi lingua malum.*

CLXXII.

*Sic uenerare DEVM, sic ipsum dilige, nullus
Ut sit amicorum, quem uenerere magis.
Ne quoq; tu, iuxta uocem monitoris IESV,
Indignus (nolens) inueniare DEO.*

CLXXIII.

*Fortiter æumnas perfer, qui fortiter illis
Certat, & inuicta pugnat athleta manu.
Fronte coronata cœlorum regna uidebit,
Atq; suis meritis præmia digna feret.*

CLXXIII.

*Qui iacet iniusta ui, siue tyrannide pressus,
Felicem : miserum, qui premit, esse putat.*

Vlt

Vim patiens etenim Christo numerabitur hæres,
Consortem Sathanae noxia turba dabit.

CLXXV.

Optimus est panis, qui uix ieiunia soluit,
Cuius & in partem nausea nulla uenit.
Namq; uoluptatis fermentum dissipat: ægre
Mensa famem sedans luxuriare uelat.

CLXXVI.

Ara profana piæ non est precis, elicit astris
Sanctum sanctorum per sacra uerba ducem.

CLXXVII.

Iusticiam talem ne fingas, quæ licet absit,
Tota tamen uirtus salua manere queat.
Nam sine iusticia uere consistere uirtus
Nulla potest, mundum nec reperitur opus.

CLXXVIII.

Semina pauperibus sparsurus, propria sparge:
Et bene quæsitæ diuide largus opes.
Peius amarescunt lolijs aliena, nec ulla
Istius est meriti gratia, fruge caret.

CLXXIX.

Quid faciat, nescit miserescens, est quasi cæcus:
Ni pariter iustus sit, teneatq; modum.

D

Nec

Nec sua distribuatur nullo discrimine cunctis
Munera, seu meriti sint bene, siue male.
Indignos etenim pascens, dat semina campo,
Florida quem nunquam cernet habere sata.

CLXXX.

Quotidie mortem propius mediteris adesse,
Nec tamen illius concutiare metu.
Vtraque Philosophum certo res indice monstrat,
Vera cui uere Philosophia placet.

CLXXXI.

Virtutis specimen coram popularibus ede,
Et fac, ut eiusdem conspiciatur honos.
Nullius incauti damno, neque fraude: sed usu
Cunctorum, cupide qui tua facta uident.

CLXXXII.

Verba pudica loqui uel eum decet, absque pudore
Polluit obscænis quem sua uita probris.
Turpis ut incipiat commissi labra pudere,
Atque uerecundas induat ipse genas.

CLXXXIII.

Si cupis ætheream sublimis scandere sedem,
Nil tibi cum terra sit, maneatue rei.
Namque grauis sursum tendentibus obstat, & alas
Impedit, in cœlum tu quibus ire paras.

Artibus

CLXXXIII.

Artibus æra malis ne quære, daturus egenis:
Qui dare uult, æqua det bona parta manib.
Auersatus opes per fasq; nefasq; coactas,
Exigit à iusto munera iusta DEVS.

CLXXXV.

Si miserescenti cœlestia dona meretur,
Pauperibus gelidæ traditus haustus aquæ.
Præmia quanta putas illum super astra manere?
Qui uacuat totam distribuendo penum.
Qui miseros, inopesq; iuuat: neq; sumtibus ullis
Parcit, habet reliquam dummodo pera stipem.

CLXXXVI.

Virtutum mater uirtus est casta, uirisq;
Compatiens, durum qui patiuntur onus.
Militiæ qui uult igitur se dedere Christi,
Instructum pariter pectus utraq; gerat.

CLXXXVII.

Quod minime sperni compassio debeat, una
Discere, si nescis, hac ratione potes.
Ipsa bonum nobis dominum detraxit Olympo,
Fataq; pro miseris fecit acerba pati.

CLXXXVIII.

Dilige uirtutem, quæ pectora casta tuetur,
Et Cypriæ seruat corpora pura luis.

D ij

Organon

Organon eius enim nobis in carne uidentum
Exhibuit plena cum deitate DEVM.
Nempe Maria parens sine semine facta uirili,
Immenso puero membra pusilla dedit.

CLXXXIX.

Ne tibi uindictam sumas, neq; concitus ira,
Vlciscendo tuas experiare manus.
Si quid es indignum uiolento passus ab hoste,
Iudicium placida mente relinque DEO.
Iustus is est iudex, alte sedet, abdita mundi
Cernit, iniqua suo puniet acta die.

CXC.

Sperne uoluptates, opulentas despice Gazas,
Nec cupidum uani pectus honoris habe.
Omnia prætereunt ea, sunt corruptio uitæ:
Incorruptibiles nos sumus, esse iuuat.

CXCI.

Siste graues gemitus, adeo neq; funera defle,
Omnibus hæc semel est nanq; terenda uia.
Nec, qui præcessit, perijt: sed ad astra beatus
Transijt, est uitæ spes ibi certa nouæ.

CXCII.

Vis lugere uirum? cumulantem crimina luge:
Non, prece qui tenuem quærit in urbe cibum.
Accipit

Accipit hic etenim superata clade coronam,
At graue supplicium perditus ille subit.

CXCIII.

Ordinis ignaram, sine lege, modoq; ruentem
Mundus habet, sequitur lubrica uita, rotam.
Ride, nanq; licet stultam ridere, decetq; :
Ne tamen interea corripere, caue.
Qui sedet incaute, qui dat pigra lumina somno,
In foueam prona uoluitur ille rota.

CXCIII.

Multa DEO facias, homini paucissima uerba,
Obseruata modum lex in utrisq; dabit.

CXCV.

Lacryma cum precibus coniuncta salubre lauacrum
Est animæ, purgat sordibus, atq; nouat.
Inter at est multum, lacrymæ quæ causa sit : illam
Ardentes inter fac meditare preces.

CXCVI.

Ampla ducum fors est, at eos idcirco beatos
Ne dicas, alios uita beata manet.
Cum sit ijs etenim terrarum magna potestas,
Quod libet, abiecta lege, potenter agent.
Atq; merebuntur uiolentis ferrea regnis
Sceptra, quibus fortis conteret ista DEVS.

D ij

Maior

ccipit

maior hic est princeps, iudex austerior, illos
Corriget, iratas induet ense manus.

CXC VII.

Est operi natus faciendo primus Adamus,
Qua pater, hac nati nos quoq; lege sumus.
Ergo laborantes, domini mandata sequamur,
Præmia mandatum certa sequentur opus.

CXC VIII.

Sic est in fati, ut nullus Adamidos Eue
Filius ætatem transigat absq; cruce.
Quemlibet ærumnas est nulle uorare necessum,
Quod sine frendenti murmure si facimus.
A nobis ueteres iræ, diræq; recedunt,
Inq; bonum finem desinit omne malum.

CXC IX.

Pectoris interior uis, quæ sibi conscia semper
Est, pedibus præcat, sitq; lucerna tuis.
Luceat extensis manibus, rebusq; gerendis
Seruiat, ambiguas ne uagus error agat.
Illa tibi geminum manifesto lumine callem
Monstrat: honesta sequi, praua cauere iubet.

CC.

Quisq; suos mores expendat, crimine dignos
Arguat: hoc facto, iudicis ira cadet.

Vi bonis

Vt bonus est etenim, sic peccatore mouetur,
Qui sapienter onus discutit ipse suum.

CC I.

Quas maculas nobis aspersit sordidus error,
Virtus abstergat pœnituisse docens.
Qualis enim nostræ micat integritatis imago,
Talem se studio reddere quisq; paret.

CC II.

AEgrotæ curanda prius sunt ulcera mentis,
Quam pateant tumida conspicienda cute.
Vt dolor auersus subito medicamine cedat,
Quo cruciare uiros tubera rupta solent.
Nempe mali cordis non emittantur ad actum
Sensa: graues pœnas, qui premit ista, cauet.

CC III.

Vt nequeunt homines pedibus properare ligatis,
Nec celerem tardis passibus ire uiam.
Sic purum uirtutis iter percurrere nemo,
Quem tenet implicitum cura profana, potest.

CC IIII.

Crimine gaudendum non est: sed oportet, ut omne,
Turpe quod est, odio nos habeamus opus.
Sic, licet illius fuerit quis fune prehensus,
Se tamen expediens, deniq; liber erit.

D iiij

Qui

CCV.

Qui sceleratorum conuuet turpibus ausis,
 Nec praesens odij signa dat ulla sui.
 Is, licet abstineat, simili neq; polluat artus
 Labe, tamen scelerum fit patiendo reus.

CCVI.

Cum tuus enormi discursu proximus errat,
 Et facit, accendi quo solet ira DEI.
 Suspirans imo gemitus da pectore missos,
 Eius & admonitus crimine, disce tuum.
 Respice te, qui sis reminiscere, cordis opacos
 Perscrutare sinus, inueniere malus.
 Omnibus haeret enim primi contagio lapsus
 In cute, procliuus ad mala quaeq; sumus.
 Peccat ut ille, potes quoq; tu peccare: cadenti
 Proximus est, dubio qui pede signat humum.

CCVII.

Iudicis admoneas, quando peccauit, amicum:
 Sic curator eris uulneris ipse tui.
 Namq; boni bona consilij sunt Pharmaca, praestant
 Communem danti, quiq; capeffit, opem.

CCVIII.

Si tibi quid sumis dicendum, si quid agendum
 Suscipis, excuses qua ratione, uide.
 Omnibus examen certum meditare futurum,
 Nil temere facies, hoc praecunte metu.

Peccato

CCIX.

Peccato comites infamia, poenaq; currunt,
Hæc metuenda uiris, illa pudenda uenit.
In neutra modus est, excessus utriq; periculum
Addit, peccatum propter utranq; fuge.

CCXX.

Certa futurorum non est mensura bonorum,
Exit in immensum, quicquid Olympus habet.
Gloria, uita, salus, requies, dulcedo, uoluptas,
Pax, honor, & magni cetera dona DEI.
Innumerabilium decor est ita pulcher, & amplius,
Ut nequeas eius scire, loquiue modum.

CCXXI.

Perpetuum nihil est in terris, omnia fumus,
Umbraq; sunt, bullis assimulanda cadunt.

CCXXII.

Nil infrugiferum sere, nec mala semina sparge,
Nam prope tempus adest, quo ressecanda seges.
Agricolam, spinis qui culta repleuerit arua,
In Sathane clibano seu Gehenna manet.

CCXXIII.

Mundi sunt flores Epicurus, Hypocrita, Diues:
Nil speciosius his cernimus esse, nitent.
At sine, prætereat breuis hora, uidebis inane
Gramen, polluto quod pede quisq; terat.

D

¶

Omnia

CCXIII.

Omnis iniqua manus, mala quælibet actio mundi,
 Tartareo vires addit, & arma duci.
 Armatus uero crudeliter accipit omnes
 Armigeros, quorum tela mucrone carent.
 Nec satis aduersus stygium sunt firma tyrannum,
 Quem nisi sola fides nil ferit, atq; fugat.

CCXV.

Debilitare uolens, qui seuit atrociter, hostem:
 Peccatum refeca, præcipitaq; tuum.
 Sic spoliatus enim (ueluti passerculus) alis,
 Luditur, & sursum cum parat ire, iacet.

CCXVI.

Væ homini, pietas quem nulla tuetur: in umbra
 Nanq; manet, reliquis cum noua lux oritur.

CCXVII.

Væ tibi, blasphemo qui sæpe locutus es ore,
 Lesistiq; grauem garrulitate DEVM.
 Aspera nanq; tuam constringent uincula linguam,
 Quid respondebis iudicis ante thronum?

CCXVIII.

Væ, sine lege suos qui turpiter exigit annos,
 Quotidie propius nanq; tribunal adit.
 Quo sedet ille, nihil qui præter iura moratur,
 Austerus legum, iusticiæq; parens.

Væ tibi,

CCXIX.

Vae tibi, praeter opes qui nil agnoscis, auare:
Nam tua diffugiunt aera, Gehenna uenit.

CCXX.

Vae pigro, tempus male sumtum nanq; requiret:
Nulla sed elapsi temporis hora redit.

CCXXI.

Vae tumido cordi, nam sordida busta superbus
Dum subit, agnoscit, quod sit & ipse cinis.

CCXXII.

Vae scortatori, nam spurca ueste madentem
Eijciet sponsus regius ante fores.

CCXXIII.

Vae maledicenti, cum potatore: merentur
Poenas, cum moecho quas homicida luit.

CCXXIII.

Vae per delicias tumido cum uentre natanti,
Pinguis enim quasi bos, cras iugulandus erit.

CCXXV.

Vae simulatori, quem fingit Hypocrisis agnum,
Esse suam pastor nanq; negabit ouem.
Et qui uult aries fucata pelle uideri,
Acris eum iudex arguet esse lupum.

Felix,

CCXXVI.

Felix, angusto qui tramite tendit in altum,
Et superat magno dura labore iuga.
Nanq; coronatum caput importabit Olympo,
Sideribus nec erit frontis honore minor.

CCXXVII.

Felix, carnales (irritamenta malorum)
Calce uoluptates qui premit, atq; terit.
Eius enim facies est formidabilis orco,
Ardua certantis Dæmones arma tremunt.

CCXXVIII.

Felix, qui solida purus uirtute probatur,
Nec foris est alius, quam latet intus, homo.
Simplice qui gaudens anima, non dissona clausis
Sensibus in uita dicit, agitur sua.
Sede sedens olim, mundum reprehendet, at ipso
Cum mundo iudex non reprehendet eum.

CCXXIX.

Felix, sepe pijs uotis qui numina quærit,
Qui sacra sepe legit, lecta q; sepe facit.
Lux ea nanq; suis radijs circundabit illum,
Que uetat æterna lumina nocte premi.

CCXXX.

Felix, sublimem factis ad sidera uitam
Qui fert, interea nec tamen alta sapit.

Nec

**Nec sinit, ut fastus humilis prudentia sumat,
Sed moderatrici se ratione regit.
Diuinos Christi mores imitatur, & ipsi
Proximus, aetherea sede receptus, erit.**

CCXXXI.

**Felix, qui legem domini meditatur, eamq;
Affixam linguae, semper in ore gerit.
Nullo nanq; die procul eius ab aedibus ibit,
Perpetuo praesens ad sua uerba, DEVS.**

CCXXXII.

**Felix, cui multos benefacta lucrantur amicos,
Nanq; tribunali cum statuendus erit.
Multos inueniet, qui coram iudice dicent,
Vir bonus hic larga nos cumulauit ope.**

CCXXXIII.

**Felix, qui nullo uirtutem crimine miscet,
Fucatoq; nihil corde, uel ore facit.
Acria sic etenim grauis instrumenta cauebit
Iudicis, acta quibus uentilat, atq; probat.**

CCXXXIIII.

**Felix, qui proprias uirtutes ornat, auarum
Ante rogam : quid enim, cum rogas ardet, agas ?**

CCXXXV.

**Felix, aethereas hinc qui festinat ad oras,
Ut uideat regni non pereuntis opes.**

Sentit

*Sentit enim, quantis praesens erroribus aetas
Implicitos homines sub styga praecipitet.*

CCXXXVI.

*Felix, qui uitat commercia foeda malorum,
Et pure puris consociatus agit.*

CCXXXVII.

*Felix, qui surdus non est, sed dicta capessit
Auribus, & prompto pectore iussa facit.
Non alia quisquam fit enim ratione beatus,
Quam dominum uera si pietate timet.
Solliciteq; diem meditatur, cuius ad ortum
Cuncta palam fient, quae modo tecta latent.
Tempore quid facient illo? quos nullius unquam
Accensum piguit criminis ante rogam.
Non resipiscendi locus est post funera: flebunt,
At seri fletus utilitate carent.*

CCXXXVIII.

*Omnes his igitur monitis aduertere mentem,
Et reputare pia sedulitate decet.
Lancibus expendi quibus huius oporteat aui
Gesta, sub extremum, terribilemque diem.*

**FINIS SENTENTIARVM
NILI.**

M. IACOBO VOMANO.

CUM natus hic recens liber iussu meo
Vellet Schlysingam quærere,
Et iam foras moueret alternos pedes,
Conuersus ilico rogat.

An non eo IACOBVS est in oppido
VOMANVS? ad quod tendimus.

Quid uis ei tuo referrî nomine?

An insalutatum fines?

Rector Schlysinganæ scolæ castam bonas
Docet iuuentam literas.

A grandioribus legi non postulo,
Sat est, placere paruulis.

Vt me suis commendet ille coetibus,
Me dextra commendet tua.

Dictis libelli pauca reddo: non opus
Charta, Vomantum nouimus,

Nec ille nos ignorat, antiquus fauor
Vtriq; constat, tu modo

Te muneri da, si placere uis, uiro:
Gratis amantur munera.

Vtcunq; sint, nemo cauas dono dati
Examinat fauces equi.



M. JACOBO VOLLMANNO

Quid sit...
Et hoc...
An non...
Vobis...
Oportet...
An...
Ratione...
Sicut...
Et...
Vt...
Sed...
Dicitur...
Quod...
Sic...
Vnde...
Tunc...
Atque...
Unde...



19 3442a

ULB Halle

3


004 771 036




f

SB.

nc





GNOMAE

BEATISSIMI PATRIS NI-
LI, EPISCOPI, ATQVE MARTY-
RIS: PARAPHRASTI-
CIS VERSIBVS
REDDITAE.

AVTORE
LVDOVICO
HELMBOLDO MVL-
HVSINO.

ERPHVRDIAE,
EXCVDEBAT MARTI-
NVS DE DOLGEN.

M D LXV

